

490

488

494

484

479

439

389

Ende

Anfang

475

autem, cum vidisset tabulas marmoreas, quibus parietes et pavimenta erant decorata, et columnas pretiosissimas, praecipit omnia deponi, ut ea abduceret ad locum sibi placitum. Mira res, et fidelibus praedicandum prodigium! Artificibus cum instrumentis accedentibus, et parietem juxta ostium, quo est ingressus in specum Domini, tangentibus cum ferramentis, astante et vidente Soldano, prosiliit de integro pariete et sano, quem nec acus videbatur penetrare, serpens mirae magnitudinis, et capite reflexo ad parietem tabulae primae marmoreae ore morsum dedit, et ignea lingua ipsam tabulam divisit, (181A) a qua ad secundam tabulam accessit repentina serptione, et deinde ad tertiam et ad quartam, et ita consequenter per unum latus processit, et omnes tabulas divisit, et in aliud latus capellae trium regum saltavit, et in politissimo pariete, in quo nec aranea figere pedem potest, cucurrit, et XL tabulas per medium divisit, et disparuit. Hoc miraculo viso obstupuit Soldanus et omnes sui, et mutato proposito a destructione cessaverunt et recesserunt. Porro transitus serpentis per tabulas manet usque ad hodiernum diem, ac si aliquis candens ferrum lapidibus adhibuisset fortiter et ipsi lapides combustibles fuissent, sicut lignum. Hoc vestigium miraculi libentissime vidi et saepe curiosissime perspexi mecum mirans.

Post hoc, anno 1341, venerunt Saraceni, missi a Soldano, ut tollerent columnas illas pretiosas. Sed cum manus apponenter, in tantum perterriti sunt quadam horribili visione, quod membris dissolutis nihil agere poterant, et cum timore fugerunt, nec manus amplius apponere praesumserunt. Post decursum annorum iterum quidam Soldanus preecepit, non quidem ecclesiam destrui, sed ut tabulas pavimenti tollerent, quae sunt in specu nativitatis Domini. Sunt enim tabulae pavimenti praesepis Domini valde pretiosae, magnae et latae, non omnino candidae, sed cum candore medius color decoratus est admixtus, sicut sunt pelles vehinae[?]. Cumque descendissent cum instrumentis, ut tabulas levarent, quocumque instrumentis tetigerunt vel manibus, rumpabantur in minutissimas particulas, sicut lignum putridum, et si levassent, nihil eis utile fuisset. Hoc cum vidissent, dimiserunt tabulas,

